Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

In catenam super Marci et Iohannis evangeliis editam - Cod. Aug. pap. 6

Thomas <von Aquin, Heiliger>

[Reichenau], [15. Jahrh.]

Cap. XVII (Cap. XVI wird nicht gezählt; laut Werkausgabe ist Cap. XVI Cap. XVII; es fehlt also kein Text, nur die Zählung ist fehlerhaft)

urn:nbn:de:bsz:31-84699

Visual Library

Cum transisset sabbatum. **Jeronimus** Post sabbati tristitiam felix irradiat dies qui primatum in diebus tenet luce prima in eo lucescente et domino meo cum triumpho resurgente. Unde dicitur Et cum transisset sabbatum maria magdalene et maria Jacobi et salome emerunt aromata ut venientes ungerent iesum. **Glosa** Religiose enim mulieres sepulto domino tum licuit operari id est usque ad solis occasum unguenta paraverunt ut lucas dicit et quia pre angustia temporis non poterant explere mox transacto sabbato id est occidente sole ut operandi licentia rediit festinaverunt emere aromata sicut marcus dicit hic. Ut venientes mane ungerent corpus ihesu. Neque vespere sabbati preoccupante iam noctis circulo monumentum adire valuerunt. Unde sequitur Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole. **Severianus** Mulieres hoc loco feminea devotione discurrunt que non ut viventi fidem sed ut mortuo unguenta deferunt ad sepulchrum. sed ut sepulto parant meroris obsequia non ut resurgenti preparant divinorum gaudia triumphorum. **Theophilus** Non enim magnitudinem atque dignitatem divinitatis christi sapiunt. Venerunt autem more consuetudinis iudeorum ungere corpus ihesu ut scilicet maneret odoriferum et ne humiditate scaturiret. Nam aromata virtutem habent desiccativam. humiditatem corporis absorbentia unde incorruptum corpus conservant. **Beda in omelia** Nos autem in eum qui est mortuus credentes si odore virtutum referti cum opinione bonorum operum dominum querimus ad monumentum illius cum aromatibus venimus. Sequitur Et valde mane una sabbatorum. **Augustinus de consensu evangelistarum** Quod dicit lucas valde diluculo et iohannes mane cum adhuc tenebre essent. hoc intelligitur marcus dicere valde mane oriente iam sole id est cum celum ab orientis parte iam albesceret. Quod non fit utique nisi solis orientis vicinitate. Hic enim est ille fulgor qui nomine aurore appellari solet. Ideo non repugnat illi qui ait Cum adhuc tenebre essent. Die quippe surgente alique reliquie tenebrarum tanto magis sunt quanto magis oritur lux. Nec accipiendum est quod ait Valde mane orto iam sole tamquam sol ipse iam videretur super terras Sed de proximo adveniente in has partes sole id est ortu suo iam celum illustrare incipiente. **Jeronimus** valde ergo mane dicit quod alius evangelista dicit diluculo. Diluculum est inter tenebras noctis et diei claritatem in qua salus humani generis provenit felici victoria. In ecclesia declaranda more solis qui proxima luce consurgens roseam primitus auroram ut gratiam prelati splendoris preparatis oculis possit inferre. Quod tempus dominice resurrectionis eluxit. ut hinc laudes christi tota teneret secundum exemplum feminarum ecclesia. quod genus humanum quod templo sue resurrectionis animavit quod in vita perstitit et lumine credulitatis infudit. **Beda** Dicit autem quod valde mane mulieres venerunt ad monumentum iuxta hystoriam magnus fervor caritatis ostenditur. Iuxta intellectum mysticum nobis datur exemplum ut illuminata facie. discussis peccatorum tenebris odorem bonorum operum domino et orationum suavitatem studeamus offerre. **Theophilus** Dicit autem Una sabbatorum id est prima dierum ebdomade. Sabbata namque dies ebdomade nuncupabatur. Una vero dicitur prima. **Beda** Vel prima sabbatorum prima dies a die sabbatorum id est requietionum que in sabbatis custodiebantur. Sequitur Et dicebant ad invicem Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti. **Severianus** Ad observationem erat pectus mentis oculi clausi et ideo patefacti sepulchri gloriam plus non videbant. Sequitur enim Et respicientes viderunt revolutum lapidem. **Beda** Quomodo lapis per angelum revolutus sit matheus sufficienter exponit. Sed revolutio lapidis mistica reseratio sacramentorum christi que velamine littere legalis tegebantur insinuat. Lex

lapide scripta est Erat quippe magnus
valde Seuerianus Et plus ita magnus merito
quam forma qui creatoris mundi corpus claude
et aperire sufficit Gregorius Mulieres autem
angelos vident que cum aromatibus vene
runt quia illi mentes supernos cives aspi
ciunt qui cum virtutibus ad sanctum desideria veniunt
Vnde sequitur Et introeuntes in monumentum
viderunt iuuenem sedentem in dexteris coo
pertum stola candida et obstupuerunt Theo
philus Si matheus dicit angelum sede
re super lapidem Marcus vero quod mulieres intro
euntes monumentum viderunt sedentem iuue
nem non mireris Nam quem viderunt prius
sedentem super lapidem ipsum etiam intus in mo
numento postmodum viderunt Augustinus de consensu
ewangelistarum dicit intelligamus matheum tacuisse
de illo angelo quem intrantes viderunt Mar
cum non de illo quem foris super lapidem se
dentem viderunt ut duos viderint et
a duobus sigillatim audierint quod dixerint
angeli de ihesu aut certe intrantes in
monumentum in aliqua septa materie debemus
accipere qua communitum latum tunc fuisse
credibile est in aliquo spacio ante petram
qua excisa locus factus fuerat sepul
ture ut ipsum viderint eodem spacio sede
tem a dexteris quem dicit matheus sedentem
super lapidem Theophilus Quidam autem dicunt
quod alie fuerunt mulieres que dicuntur a ma
theo alie quam a marco sed maria magdalena
sequebatur omnes feruidam sectatorum habens
et ardentem affectum Seuerianus Introierunt
ergo mulieres sepulchrum ut consepulte xpo
xpo consurgent de sepulchro Vident
iuuenem ut cernent innte resurrectionis
etatem quia nescit resurrectio ~~[illegible]~~ se
nectutem et ubi nasci mori quod nescit ibi
etas nec amittit detrimenta nec indiget
incrementis Vnde iuuenem non senem
non infantem sed in eandem etatem viderunt
Beda Viderunt autem iuuenem sedentem
in dexteris id est ad meridianam partem loci
illius vbi positum erat Corpus enim
quod supinum iacens caput habebat ad
occasum dextram necesse erat habere ad austrum

Gregorius in omelia Quid autem per sinistram nisi
vita presens Quid vero per dexteram nisi eterna
perpetua designatur Quia igitur redemptor
noster iam presentis vite corruptionem transierat
recte angelus qui nunciare perhennem eius
vitam venerat in dextera sedebat Se
uerianus Vident etiam iuuenem sedentem a dex
tris quia resurrectio recepit nil sinistrum
Vident etiam coopertum stola candida Sto
la ista non est ex mortali vellere sed ex vir
tute vitali splendens celesti lumine non colo
re terreno dicente propheta Amictus lumine sicut
vestimento Et de iustis Tunc iusti fulgebunt
sicut sol Gregorius in omelia Vel stola
candida coopertus apparuit quia festiuitatis
nostre gaudia nunciauit Candor etenim vestis
splendorem nostre denunciat solempnitatis
Ieronimus Vestis etiam candida vere leti
cia est depulso hoste regno quod adepto re
ge pacis quesito inuento et numquam dimisso
Hic ergo iuuenis formam resurrectionis
timentibus mortem ondit Ipse autem obstupu
erunt id est quod oculus non vidit nec auris
audiuit nec in cor hominis ascendit que
preparauit deus diligentibus se Sequitur
Qui dicit illis Nolite expauescere Gregorius in omelia
dicat se dicat Paueant illi qui non amant
aduentum supernorum ciuium pertimescant qui
carnalibus desideriis pressi ad eorum se so
cietatem pertingere posse desperant Vos
autem cur pertimescitis que vestros conciues
uidetis Ieronimus Non est enim timor in cari
tate Quid expauescent que inuenerunt que
quesierunt Gregorius in omelia Sed iam quod angelus
subiungat audiamus Ihesum queritis naza
renum Ihesus latino eloquio salutaris
id est saluator interpretatur At vero tunc multi
ihesus dici poterant nec tamen substancialiter
sed nuncupatiue Ideo et locus subiungitur
ut de quo ihesu dictum sit manifestetur Na
zarenum Et causam protinus subdit Cruci
fixum Theophilus Non enim erubescit crucem
In hac namque salus hominum est et bonorum prin
cipium Ieronimus Radix autem amara crucis
euanuit flos vite cum fructibus erupit
id est qui iacuit in morte surrexit in gloria

Unde addidit Surrexit non est hic.
Greg. in omel. Non est hic dicitur per presen-
tiam carnis qui tamen nusquam deerat per pre-
sentiam maiestatis Theo. Et quia de auditu cer-
tificari de eius resurrectione subdit. Ecce
locus ubi posuerunt eum. Propter hoc enim
et revolverat lapidem ut locum ostenderet
Iero. Ostenditur autem immortalitas mor-
talibus ad gratiarum actionem debitam ut intel-
ligamus qui fuerimus et sciamus quid fu-
turi erimus. Sequitur Sed ite dicite disci-
pulis eius et petro quia precedet vos in
galileam. Mulieribus dicitur ut nuncient
apostolis quia per mulierem mors annunciata est
per mulieres vita resurgens. Dicit autem
specialiter et petro qui se indignum iu-
dicat discipulatu. quia ter negavit magistrum
Sed peccata preterita non nocent quando non pla-
cent. Greg. in omel. Si autem hunc ange-
lus nominatim non exprimeret qui magistrum
negaverat venire inter discipulos non au-
deret. Vocatur ergo ex nomine ne de-
speraret ex negatione Aug. Quod autem dicit
quia precedet vos in galileam ibi eum vi-
debitis sicut dixit vobis. Videtur hoc
sonare quod iesus non erat se demonstraturus
discipulis post resurrectionem nisi in galilea
quam demonstrationem nec ipse marcus commemo-
ravit. Quod enim dixit mane prima sabbati
apparuisse marie magdalene post hec
duobus euntibus in villam. factum est in eum
ipso die resurrectionis. Deinde venit
ad ultimam manifestationem. quam factam scimus
in monte oliveti non longe a ierusalem. Nun-
quam igitur commemorat marcus impletum
quod ab angelo promissum esse testatur.
Matheus vero nullum alium locum omnino com-
memorat ubi discipuli postquam surrexit
viderunt dominum nisi in galilea secundum angeli
predictionem. Sed cum non sit expressum quando
id futurum esset. Utrum primum antequam alibi ab
eis visus esset idque ipsum quod discipulos ma-
theus dicit isse in galileam in montem
non exprimit diem. nec narrandi ordinem
non adversatur matheus narrationibus ceterorum
sed dat eis intelligendis atque accipiendis
locum. Verumptamen quod dominus non ubi primum se

demonstraturus erat sed in galilea ubi postea
visus est se videndum mandavit quemvis fide-
lem facit intentum ad querendum in quo misterio
dictum intelligatur. Greg. in omel. Galilea nam-
que transmigratio interpretatur. Iam quippe redemp-
tor noster a passione ad resurrectionem a mor-
te ad vitam transmigraverat et nos resurrec-
tionis eius gloriam post leti videbimus si
modo a viciis ad virtutum celsitudinem transmi-
gramus. Qui ergo in sepulchro nunciatur
in transmigratione ostenditur. quia ille qui in mor-
tificatione carnis agnoscitur in transmigratione
mentis videtur. Jerom. Brevis ergo sen-
tencia in sillabis sed ingens in quantitate pro-
misso. Ibi est gaudii nostri fons .i. salutis
eterne origo preparata. Ibi congregantur di-
spersiones et sanantur contriti corde. Ibi
inquit eum videbitis sed non sicut vidistis.
Aug. de con. ev. Signatur etiam quod gratia christi
de populo israel erat transmigratura ad gen-
tes quibus apostoli nullo modo predicantes
susciperent nisi eis viam dominus in eorum cor-
dibus precedens preparasset. Et hoc est
precedet vos in galileam ibi eum videbitis
.i. ibi membra eius invenietis. Sequitur
At ille exeuntes fugerunt de monumento.
Invaserat enim eas tremor et pavor.
Theophi. Stupor propter visionem angeli
et admirationem resurrectionis. Severianus
Angelus quidem sedet in monumento fu-
giunt mulieres quia ille de celesti gloria
confidit turbantur iste de conditione terrena.
Sepulchrum qui mori non potest timore nescit.
Mulieres autem et de ipso facto tre-
munt et sepulchrum ut mortales adhuc
mortalitatis expavescunt. Jeronimus. Hec
etiam dicitur de futura vita in qua fugiet
dolor et gemitus. Imitantes enim mulieres
ante resurrectionem dominum quod faciunt post
resurrectionem fugientes mortem et pavo-
rem. Sequitur Et nemini quicquam dixe-
runt. timebant enim. Theophilus. Aut
iudeos aut timore visionis detente tace-
bant hoc quod audierant. Aug. de con. evan. Querit
autem potest quemadmodum hoc dicat marcus
cum dicat matheus Exierunt cito demo-

numento cum timore et gaudio magno cur-
rentes nunciare discipulis eius nisi intelliga-
mus ipsarum angelorum neminem ausas fuisse di-
cere aliquid i. respondere ad ea que ab illis au-
dierunt aut certe custodibus quos iacentes
viderunt. Nam illud gaudium quod matheus
commemorat non repugnat timori de quo
marcus dicit. Debuimus enim utrumque in illa
tum animo factum intelligere etiam si matheus
de timore non diceret. Cum ideo et ipse dicat
Exierunt cito de monumento cum timore
et gaudio magno nichil ex hac re questionis
remanere permittit. Severianus Signanter
etiam dicitur quod nemini quicquam dixerunt quia
mulieribus audire non loqui datum est discere
non docere. Surgens autem mane. Augustinus
Iam post resurrectionem quemadmodum apparuit
dominus considerandum est. Dicit enim marcus
Surgens autem ihesus mane prima sabbati
apparuit primo marie magdalene de qua
eiecerat septem demonia. Beda. Hec
apparitio quomodo et ubi facta sit Johannes
plenissime docet. Surrexit autem dominus
de mane de monumento in quo sero iam facto
erat depositus ut adimpleretur illud psal-
miste ad vesperum demorabitur fletus et ad
matutinum leticia. Theophilus Vel aliter.
Ut dicit Surgens ihesus ibi punctum. Deinde
inde dicas mane prima sabbati apparuit
marie etc. Gregorius in omelia Ut enim Sam-
son nocte media non solum de gaza exivit
sed etiam portas tulit Sic et redemptor
noster ante lucem resurgens non solum liber
de inferno exivit sed ipsa etiam inferni
claustra destruxit. De maria autem hic
marcus septem demonia eiecta fuisse
testatur et quid septem demonia nisi uni-
versa vicia significant. Quia enim septem
diebus omne tempus comprehenditur recte septe-
nario numero universitas figuratur. Septem ergo
demonia maria habuit que universis viciis
plena fuit. Theophilus Aut septem demonia
septem virtutibus spiritus contraria dicit ut
spiritus absque timore absque sapientia absque intellectu
et quecumque alia dona sancti spiritus opponuntur. Ieronimus
Hanc autem de qua eiecerat septem demonia
primo audivimus quia meretricem et publicam per-

cedente synagogam in regnum dei ut latro
precessit apostolos. Beda In principio etiam mulier
actor culpe viro fuit. nunc que primo mortem
gustavit resurrectionem prima videt ne perpetui
reatus apud viros opprobrium sustineret et
que viro culpam transfuderat transfudit et
gratiam. Nam sequitur. Illa vadens nunciavit
hiis qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus. Ieronimus
Flent et lugent qui non dum viderunt
sed non post consolabuntur. Beati enim qui lu-
gent nunc quoniam ipsi consolabuntur. Beda Re-
cte autem hec mulier que leticiam dominice resurrec-
tionis prima nunciavit vii demonibus cu-
rata esse memoratur ne quisquam digne
penitens de admissis veniam desperaret
et ut ubi habundavit peccatum superhabunda-
ret et gratia monstretur. Severianus Nunciat
autem maria sed iam non femina sed ecclesiam
gestans ut sicut supra femina taceat hic
ecclesia et nunciet et loquatur. Sequitur
Et illi audientes quia viveret et visus
esset ab ea non crediderunt. Gregorius in omelia
Quia resurrectionem dominicam discipuli tarde cre-
diderunt non tam illorum infirmitas quam
nostra ut ita dicam firmitas fuit. Ipsa namque
resurrectio illis dubitantibus per multa ar-
gumenta monstrata est que dum nos legentes
agnoscimus quid aliud quam de eorum dubitatione
solidamur. Sequitur Post hec autem duobus
ex eis ambulantibus ostensus est in alia ef-
figie euntibus in villam. Augustinus de consensu evangelistarum
De istis duobus quorum unus erat cleophas
lucas totum narrat sed marcus hic breviter
perstringit. Castellum quippe illud de quo lu-
cas loquitur non absurde accipimus etiam villa
potuisse appellari et modo in libris quidem grecis
magis agrum invenimus quam villam. Agri
autem nomine non castella tantum verum etiam muni-
cipia et colonie solent vocari extra
civitatem que quasi caput et mater est
ceterarum. Quod autem ait marcus eis in alia
effigie dominum apparuisse hoc lucas dicit
quod eorum oculi tenebantur ne agnoscerent
eum. Oculis quippe eorum acciderat aliquid
quod eis manere permissum est usque ad fractionem
panis. Severianus Nemo autem putet christum
sua resurrectione sui vultus effigiem commu-
tasse Sed mutatur effigies dum efficitur ex

mortali in mortalis. ut hoc sit acquisisse multus dei gloriam. non mutasse substantie perdidisse. Duobus autem visus est. quia duobus populis i. gentibus et iudeis resurrectionis fides predicanda monstratur. Sequitur. Et illi euntes renunciaverunt ceteris. nec illis crediderunt. Cum marcus dicat nunciavisse ceteris. nec illis crediderunt. cum lucas dicat quod iam inde loquebantur. vere resurrexisse dominum et symoni apparuisse. quid intelligendum est nisi aliquos ibi fuisse qui nollent credere. Theophilus Non enim de undecim apostolis hec dicit sed de quibusdam alys quos ceteros nominat. Jeronimus Mystice autem intelligitur quod fides hic laborat agens activam vitam. Hic contemplativa secura visione regnat. hic per speculum contuemur in enigmate. illic facie ad faciem veritatem videbimus. Unde ambulantibus i. laborantibus ostensus est in alia effigie eis qui dicit Ostende michi temetipsum. Oblivio enim carnis sic postulat ~~mutata quod speram~~ mutata ista quod speramus in futura. Nouissime autem Glosa Completurus evangelicam narrationem marcus novissimam apparitione qua Ihesus post resurrectionem discipulis apparuit commemorat dicens Nouissime autem recumbentibus illis undecim apparuit. Gregorius in omelia Notandum autem quod lucas in actibus refert dicens Convescens precepit eis ab ierosolimis ne discederent. Et post pauca videntibus illis elevatus est. Comedit enim et ascendit. ut videlicet per effectum comestionis veritas pateseret carnis. Unde et hic dicitur quod recumbentibus illis novissime apparuit. Jeronimus Apparuit autem undecim simul congregatis ut omnes testes sint et enarrarent omnibus quod viderunt et audierunt. Sequitur. Et exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis quia hiis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Augustinus de con. evan. Quomodo autem novissime hoc factum est. Novissime quippe istud est quod dominum apostoli in terra viderunt quod factum est quadragesimo die post eius resurrectionem. Numquid nam tunc exprobraturus erat quod non credidissent eis qui eum viderant resurrexisse cum iam et ipsi post tanta totiens eum viderant. Remanet igitur ut intelligamus tunc marcum breviter commemorare voluisse et iam dixisse Novissime quia ipso die hoc novissimum fuit iam incipiente nocturno tempore postea quam discipuli redierunt de castello in ierusalem et invenerunt sicut dicit lucas undecim et qui cum illis erant colloquentes de resurrectione domini. Sed erant ibi utique non credentes. Hiis ergo sicut marcus dicit discumbentibus et adhuc inde sicut dicit lucas loquentibus stetit in medio eorum dominus et ait illis Pax vobis. Sicut iohannes et lucas dicit. Vobis itaque dominus querit eum locutum esse discipulis lucas iohannes quod dixerunt interponit et illa exprobratio de qua marcus hic dicit. Sed hoc rursus movet quomodo discumbentibus undecim dicit apparuisse marcus si illud tempus est diei dominici iam noctis initio. cum aperte Iohannes dicat non cum eis fuisse apostolum thomam quem credimus exisse inde antequam dominus intraret ad eos postea quam illi duo redeuntes de castello cum ipsis undecim collocuti sunt sicut apud lucam invenitur. Sed lucas in sua narratione dat locum quo possit intelligi dum hec loquerentur prius inde exisse thomam et postea dominum intrasse. Marcus autem qui dicit Novissime discumbentibus illis undecim apparuit etiam thomam illic fuisse cogit fateri nisi forte quamvis uno absente undecim voluit appellare. quia eadem tunc apostolica societas hoc numero nuncupabatur antequam mathias in locum iude subrogaretur. Aut si hoc durum est accipere illud accipiamus post multas demonstrationes eius cum novissime recumbentibus undecim apparuisse i. ipso quadragesimo die. Et quoniam iam erat ab eis ascensurus in celum hoc eis illo die maxime exprobrare voluisse quia hiis qui viderant eum resurrexisse antequam ipsi eum viderent. cum utique post ascensionem suam predicantibus evangelium etiam gentes quod non viderunt fuerant credituri. Et dixit eis Euntes in mundum universum predicate evangelium omni creature. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. Qui vero non crediderit condempnabitur. Hoc ergo predicaturi nonne ipsi primitus fuerant obiurgandi qui antequam dominum vidissent non crediderunt eis quibus prius apparuisset. Gregorius in omelia Id circo etiam tunc dominus discipulos increpavit cum corporaliter reliquit. ut verba que recedens

dicat mente / audientium cernens in ipsa re-
manebat. Jeronimus. Exprobrat autem incre-
dulitatem ut succedat credulitas. Expro-
brat duriciam cordis lapidei ut succedat cor
carneum caritate plenum. Gregorius in omelia. Increpa-
ta igitur eorum duricia quid admonendo dicat
audiamus. Euntes in mundum universum predicate
evangelium omni creature. Omnis creature
nomine signatur homo. habet namque com-
esse cum lapidibus vivere cum arboribus sentire cum
animalibus intelligere cum angelis. Omni ergo
creature predicatur evangelium cum soli homini
predicatur quia ille videlicet docetur propter
quem in terra cuncta creata sunt et a quo omnia per
quandam similitudinem aliena non sunt. Potest
etiam omnis creature nomine omnis natio gentium
designari. Ante etenim dictum fuerat. In viam
gentium ne abieritis. Nunc autem dicitur predicate omni
creature ut scilicet prius a iudea apostolis re-
pulsa predicacio tunc nobis in adiutorium
nobis fieret cum hanc illa ad dampnacionem
sue testimonium superbe repulisset. Theophilus.
Vel omni creature id est credenti et non credenti.
Sequitur Qui crediderit et baptizatus fuerit
salvus erit. Non enim sufficit credere. Nam
qui credidit et nondum est baptizatus sed
cathecuminus nondum est perfecte salutem adep-
tus. Gregorius in omelia. Fortassis autem unusquisque
apud semetipsum dicat. Ego iam credidi
salvus ero. Verum dicit si fidem operibus
teneat. Vera etenim fides est que in hoc
quod verbis dicit operibus non contradicat.
Sequitur Qui vero non crediderit condem-
pnabitur. Beda. Quid hic dicemus de
parvulis qui per etatem credere non valent.
Nam de maioribus nulla questio est. In
ecclesia ergo salvatoris per alios parvuli credunt
sicut ex aliis que illis in baptismo remit-
tuntur peccata contraxerunt. Sequitur Signa
autem eos qui crediderint hec sequentur. In
nomine meo demonia eicient. linguis loquentur
novis serpentes tollent. Theophilus. id est dis-
pergent intellectuales sicut illud Calcabitis
super serpentes et scorpiones. Intellectu-
aliter intelligitur. Potest autem intelligi de sen-
sibilibus serpentibus sicut Paulus a vipera
nullum habuit nocumentum. Sequitur Et si mor-
tiferum quid biberint non eos nocebit. Multa

talia facta in historiis legimus. Multas nam-
que venena bibita Christi munita signaculo le-
dere non valebant. Sequitur Super egros ma-
nus imponent et bene habebunt. Gregorius. Numquid in omelia
autem quia ista signa non facimus minime cre-
dimus. Sed hec necessaria in exordio ecclesie fuerunt.
Ut enim fides cresceret credentium miraculis
fuerat nutrienda. Quia et nos cum arbus-
ta plantamus tamdiu eis aquam infundimus
quousque ea in terra iam convaluisse videamus
et si semel radicem fixerint irrigando
cessamus. Habemus de hiis signis atque vir-
tutibus que adhuc subtilius considerare
debemus. Sancta quoque ecclesia cotidie
spiritualiter facit quod tunc per apostolos corporaliter
faciebat. Nam sacerdotes eius cum per
exorcismi graciam manum credentibus impo-
nunt et habitare malignos spiritus in eorum
mentibus contradicunt quid aliud faciunt
nisi demonia eiciunt. Et fideles quique
qui iam secularia verba derelinquunt sancta
autem misteria insonant linguis loquun-
tur novis. Qui dum bonis suis exhortacionibus
maliciam de alienis cordibus auferunt
serpentes tollunt. Et dum pestiferas
suasiones audiunt sed tamen ad operacionem
pravam minime pertrahuntur mortiferum est
quod bibunt sed non eis nocebit. Qui
quociens proximos suos in bono opere
infirmari conspiciunt dum exemplo sue
operacionis illorum vitam roborant super
egros manus imponunt ut bene habeant.
Que nimirum miracula tanto maiora sunt
quanto spiritualia et quanto per hec non corpora
sed anime suscitantur. Et dominus quidem Ihesus.
Jeronimus. Dominus Ihesus qui de celo de-
scenderat ad liberandam infirmitatem hu-
manitatis ipse etiam super celos ascendit.
Unde dicitur Et dominus quidem Ihesus post-
quam locutus est assumptus est in celum
sedet a dextris dei. Augustinus de consensu
evangelistarum. In quo satis videtur ostendere novissimum
cum illis in mensa primissimum eum habuisse ser-
monem quamvis non omnino ad id coar-
tari videatur. Non enim ait postquam hec
locutus est eis. Unde admittit si necessitas co-
geret non illa fuisse locutionis sed ad omnia

que cum eis omnibus illis diebus locutus est posse primo quod dictum est. Postquam locutus est eis assumptus est in celum. Sed quia ea que supra diximus magis suadent novissimum diem fuisse ideo post premissam locutionem quam marcus commemoravit adiunctis etiam illis verbis que commemorantur in actibus apostolorum credendum est assumptum dominum esse in celum. **Gregorius** In veteri testamento cognovimus quod helyas sit raptus in celum. Sed aliud est celum ethereum aliud celum aereum. Celum quippe aereum terre est proximum. In celum itaque aereum helyas sublevatus est ut in secretam quamdam regionem terre repente duceretur ut in magna iam carnis quiete et spiritus viveret quousque ad finem mundi redeat et mortis debitum solvat. Notandum quoque est quod helyas in curru legitur ascendisse ut videlicet aperte demonstraretur quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Redemptor autem noster non curru non angelis sublevatus legitur quia qui fecerat omnia super omnia sua virtute ferebatur. Considerandum vero nobis est quod marcus subdit. Et sedet a dextris dei. Cum stefanus dicat video celos apertos et filium hominis stantem a dextris dei. Sed sedere iudicantis est stare vero pugnantis vel adiuvantis. Stefanus ergo in laboris certamine positus stantem vidit quem adiutorem habuit. Sed hunc post assumptionem marcus sedere describit quia post assumptionis sue gloriam iudex in fine videbitur. **Augustinus de symbolo** Sessionem igitur istam non accipiamus quasi sit humanis membris positus tamquam pater sedeat in sinistra ut filius sedeat ad dexteram sed ipsam dexteram intelligimus potestatem quam accepit ille homo a deo ut veniat iudicaturus qui prius venerat iudicandus. Sedere enim habitare intelligitur quomodo dicimus de quocumque homine in illa patria sedit per tres annos. Beatus enim est et habitat in beatitudine que dextera patris vocatur. Ibi enim omnis dextera est quia nulla est miseria ibi. Sequitur. Illi autem profecti predicaverunt ubique domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. **Beda** Nota quod marcus evangelium suum quanto inchoavit tardius ~~[...]~~ tanto in longinquiora tempora scribendo porrexit. Ab initio enim evangelice predicationis quod a iohanne factum est exorsus ad illud usque tempus narrando pervenit quo apostoli idem evangelii verbum per totum orbem seminaverunt. **Gregorius in omelia** Aliud autem in his considerandum est nisi quod preceptum obediencia obedienciam vero signa secuta sunt. Preceperat enim dominus Euntes in mundum universum predicate evangelium etc. Et in matheo Eritis mihi testes usque ad extremum terre. **Augustinus ad Esicium** Quo autem pacto ab apostolis est predicatio ista completa quando adhuc usque sunt gentes in quibus modo cepit et in quibus nondum cepit impleri. Non utique hoc sic a domino mandatum est apostolis tamquam ipsi soli quibus ~~[...]~~ tunc loquebatur tantum munus fuerint impleturi. Sed sic eis solis videtur dixisse Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Quod tamen cum universa ecclesia promisisse quis non intelligat que aliis morientibus aliis nascentibus hic usque in seculi consummatione futura est. **Theophilactus** Sciendum autem est et hoc quod sermo per opera confirmatur sicut in apostolis tunc opera confirmabant sermonem sequentibus signis. Fiat autem o christe ut nostri sermones quos de virtute dicimus per opera confirmentur et sic tandem simus perfecti te operante in omnibus nobis et operibus quia te decet et sermonum et operum gloria. Amen.

Explicit thomas de aquino super marcum finitus anno domini lxx°